

OK. 5237

B. m. II,



11. 466

DE  
**MERITIS PRUSSORUM**  
 IN  
**POESIN LATINAM**  
**COMMENTATIO**  
 HISTORICO - LITTERARIA  
**GEORGII CHRISTOPHORI**  
**PISANSKI**  
 LYCEI PAROCHIALIS PRO-RECTORIS.

A. R. S. MDCCLI.

---

REGIOMONTI,  
 STANNO REGIAE AULICAE ACADEMICAE TYPOGRAPHIAE.



*pro Rectori N. M. M. M.*



INCLUTAE REIPUBLICAE REGIOMONTANAE  
PATRIBUS CONSCRIPTIS,  
VIRIS  
AMPLISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS,  
JURECONSULTISSIMIS,  
CONSULI DIRIGENTI  
SPECTATISSIMO,  
CONSULIBUS  
CAETERIS MERITISSIMIS,  
SENATORIBUS  
PRAESTANTISSIMIS,  
NEC NON  
QUI EORUM A SECRETIS SUNT  
VIRIS PRAENOBILISSIMIS,  
FAUTORIBUS OMNI PIETATE PROSEQVENDIS,  
HOC QVAECUNQVE GRATI ANIMI DOCUMENTUM  
OFFERT  
TANTORUM NOMINUM

*CULTOR PERPETUUS*  
GEORGIUS CHRISTOPHORUS PISANSKI.



uemadmodum Prussia semper optimorum ingeniorum ferax fuit; ita nec illorum inopia laboravit, qui in colenda poesi suam exercebant industriad. Ne enim quid de istis dicam, qui carminibus vernaculo sermoni adstrictis incla-  
ruerunt, vt *Dachius, Roelingius, Derschavius, Piatfchius*, alii, quorum peruulgata sunt nomina; non minor sane eorum numerus est, qui Latino idiomate cecinerunt carmina, suauitate, cultu ac nitore veterum poetarum, qui aureo saeculo floruerunt, scriptis proxima. Offerunt sese, vtut vel solam *Prussiam orientalem*, quae iam Regia dignitate fulget, collustrem, Yates, qui si in contentionem de principatu venirent, nec Sannazarios, nec Lotichios; nec Barlaeos, neq; Arconatos; nec Scalligeros, nec Heinsios, celebrata illa recentioris aevi lumina, metuerent. Quorum merita cum digna aeternitate sint; non vitio mihi vertent elegantiorum litterarum cultores, si de conatibus Prufforum in concinnandis carminibus Latinis non nulla commentatus fuero.

Equidem quod ad antiquissima tempora attinet, vt caeterarum scientiarum, ita poeseos quoque Latinae culturam inter Pruffos siluisse nemo ignorat, cui facies rei litterariae obscuro isto saeculo innotuit. Namque ne de nomine quidem Aestiis, Sembis, Galindis, aliisque priscae barbariei cultoribus humaniores litterae notae fuere. Quod de Germanis Tacitus; id de nostratibus etiam adfirmant historiae patriae scriptores, litterarum arcana omnes penitus ignorasse. (a) Et quamuis haud diffitear, existisse inter illos non nulla poeseos vestigia; cum sacerdotes, quorum maxima fuit turba, maiorum suorum res gestas, ceu apud Germanos Bardi, cantionibus propagasse, annalibus referantur: (b) attamen, quantum illa a legitimi carminis venustate remota fuerint, et me tacente colligere licet.

(a) Duisburgi Chronic. Prussf. Part. III. cap. V.

(b) Hartknoch. Disput. XIII. de rebus Prussf. p. 195.

Prima igitur Latinae poeseos incunabula circa aduentum Mariani Ordinis inuestiganda sunt. Primi enim fuerunt Cruci-

geri, qui vsum Latini sermonis, vtvt maiorem in modum corrupti, in has introduxerunt oras. Sed dolendum, aetatem stabilendarum per Prussiam litterarum in illa incidisse tempora, quibus omnis, vt Latinae linguae, ita poeseos quoque, et reliquarum scientiarum nitor euanuerat. *Ferretim* istud *aeuum* iure appellatur ab eruditus, quippe quo nulla ferme apparent Latinitatis vestigia. Quid quod tanta per hoc tempus fuit ignorantia, vt nec flectere, nec componere apte vocabula scirent. (c) Qua de re si quis dubitat, adeat quaeso atque euoluat diligenter scripta ista aetate luci data; animaduertet, bonas litteras omnem dignitatem ac splendorem amisisse. Superfunt et in Prussia non nullae istorum temporum elucubrations, vt sunt priuilegia a Marianis euulgata; Chronicon Duisburgi, caetera; pessimam iniquitatisimamque Latinitatem referentia. Sed cum de ligata potissimum oratione mihi sermo sit; illius etiam adhuc reperiuntur fragmenta, passim apud scriptores domesticos occurrentia. (d) Verum, si dicendum quod res est, nec probatas voces, nec aptam earum constructionem, nec alias boni carminis notas prae se ferunt vllas. Omnibus hisce neglectis, rhythmis solum versibusque Leoninis studebant poetae; et vt illos obtinerent, praesertim chronodistica simul expresuros, misere torquebant vocabula; adeo, vt intricata, saepius etiam lepida, enascerentur disticha. Speciminis gratia e multis allego versiculos in celebratissimum ad Rudaviam proelium a Poeta quodam contextos: (e)

Exurge Reges Olgerd Kinstoud duo fratres  
 Quando subintrarent Sambensem et despoliant,  
 Schnitkop Marschalcus praeceptores simul ejus  
 Hos debellarunt, captos multosque necarunt.  
 Ex quibus vndena perueris millia plena.  
 Sed proh Marschalcus tunc corruit vt Leo viuus.  
 Annis M tria C conjunctis septuaginta.

Dignum profecto istis tenebris carmen!

(c) Fufius habet *Cel. Walebius Hist. Crit. Lat. ling.* cap. I. §. XII. p. 125. seq.

(d) Conf. *Animaduersiones Hartknochii ad Supplementa Duisburgi* p. 431. et alibi passim.

(e) Exstant cum aliis eius farinae in *Erleuterter Preussen* T. I. p. 630. 631.

5  
Verum neque post illa tempora felicior Prusis illuxit dies. Equidem aliae regiones, et in his Italia, de meliori fato iam tunc sibi gratulari poterant. Oppressis enim per tot saecula artibus adflictae Graecorum res, Turcarum potentia crescente, auxilio fuere Latinis. Nam cum iam ante expugnatam Constantinopolim, saeculo XIV. Graecorum imperium ad interitum properaret; *Manuel Chrysoloras* Byzantinus ab Imperatore Joanne Palaeologo legatus in Occidentem missus, substitit in Italia, et primus ibi Graecas docuit litteras. Hunc alii postea secuti sunt viri doctissimi, qui, quamvis Graeca essent gente, non tamen expertes Latinitatis erant. Sideris instar inter illos micabat *Franciscus Petrarcha*, qui absterfis barbarici sordibus, in restituendo Latini carminis nitore egregiam collocavit operam. (f) Nec defuerunt post illum, qui pertexendam, quam ille orsus erat, telam susceperunt. Verum tamen non vsque adeo diffundebatur ista lux, ut ad patriam quoque nostram suos spargeret radios. Licet enim circa ista tempora ab anno 1348-1382. Prusis esset Princeps, qui summopere litteras fouebat, *Vinricus a Kniperode*, quid quod licet idem ipse magnis sumptibus ex Italia euocaret eruditos, ut docentium in recens fundato Mariaeburgi Gymnasio munere fungerentur; (g) mirus tamen eliminatum fuisse e coenobiorum pomocriis stuporem, vel inde colligimus, quod istorum temporum carmina nihil prioribus ruditate cedant.

(f) Conf. Vita edita a *Joanne Henrico Ackero* Rudolstadtii 1711. 8.

(g) *Hennebergeri Chronic.* fol. 291. *Adlerbold Hächstgebrüesenes Preussen*, p. 271.

Ex his igitur patet, non adiciendum esse calculum *Polycarpo Lysero*, qui saecula haec medii aevi a perperam inusta, ut loquitur, labe purgaturus, ad nitida quaedam carmina, tum forte elaborata, prouocat. (h) Fatendum utique est, exstitisse ista aetate scriptores quosdam, qui stilo non penitus deprauato vsi sunt e. g. *Srabo Euldenfis*, *Guntherus*, *Rosvitha caet.* quibus etiam e Prusia addi posset *Auctor Hymni in laudem B. Dororhae compositi*, quem e vetustissimis manu scriptis excerptum *Historiae suae Beatae Dororhae* p. 153. adiunxit *S. Ren. D. Lilienthal*, quique se ultra genium saeculi commendat. At sicut ex auctorum quorum-

fundam conditione non omnis aetas metienda est; ita ex altera parte longe plures citari possent, quorum stilus horridus est atque incultus, et quorum poesis toto coelo distat ab antiqua venustate.

(h) *Dissertatione de ficta medii aevi barbarie, in primis circa poesin Lati-  
nam.* Helmstadt. 1719.

Meliorem tamen poeseos Latinae inter Prussos gustum saeculo deimo sexto, et quidem statim sub initia eius existisse, vel inde patet, quoniam eminentioris quoque dignitatis viri eadem maxime delectati leguntur. Huc in primis referendus *Jobus a Dobeneck* Episcopus Pomesanienſis; quippe qui commercio cum literatis multum temporis impendens, ingens etiam istius aevi ornamentum *Eobanum Hessum*, poetam magni nominis, ad se inuitatum lauto per aliquod tempus Riesenburgi aluit hospitio. (i) Et huic quidem Viro Celeberrimo primas iure adsignandas esse inter illos, qui aditum amoenioribus Musis in patriam nostram aperuere, non est quod dubitemus. Saltem id adfirmare non erubescio, *Eobanum* plurimum contulisse ad eradicanda inueteratae barbariei vestigia, et ad incitandos in hoc studiorum genere populares nostros. Alius circa idem tempus Larem in Prussiam transtulit Poeta haud obsecurus, *Felix Fidlerus*. Oriundus ex Helvetia, manu Inuidissimi Imperatoris Caroli V. seruo poetico decoratus, eiusque a consiliis bellicis fuerat. Verum ob desertam religionem pontificiam, patriae solum vertere coactus, in Prussiam concessit, historicis ibidem poeticisque studiis vacans et anno 1553. defunctus, postquam inter alia, *Flumina Germaniae* legato sermone edidisset. (l)

(i) Conf. de Eob. Hesso *Adami in vitis Philosophorum* fol. 49. b. Quanto applausu Erdorfordiae bonas litteras docuerit, vel inde liquet, quod mille et quingentos habuit auditores. Vid. *Baylii Lex. Hist. Crit. edit. Germ. T. II. p. 420.* Ipse Hessus carmine inserto *dem Erlauteren Preuss. sen Tom. V. p. 638.* ita canit:

Non procul inde meis *Riseburgum* nobile Musis  
Arx vetus in parvo condita colle iacet &c.

Plura forsitan habet *Joannes Henricus Ackerus*, Rector Altenburgensis, in edito Jenae 1723. in forma octava libello, cui titulus: *Iobus a Dobe-*

*Dobeneck Episcopus Pomsaniensis, Patronus Eobani Hessi, ad illustrandam huius vitam. Verum iste nondum conspectum meum subit.*

(1) Conf. *Jochers Gelehrten-Lexicon.*

Simulac vero cura *Munificentissimi Alberti, Prufforum Ducis*, in fundata Academia Regiomontana artibus elegantioribus domicilia stabilita sunt; confestim etiam euocatae e Latio Camoenae huc demigrarunt. Facem iis praetulit, qui eminentiorem quandam locum inter vates recentioris aevi tenet, *Georgius Sabinus*. Maior Viri huius fama est, quam quae paginis his celebrari possit. Proinde illos, quibus non innotuit Vates noster, ad *Perrum Albinum* remitto, qui vitam Sabini peculiari volumine illustratam *Vindoburgae* 1588. in 8vo in lucem misit, quam iterum cum eruditis commentariis suis recudendam curavit *Theodorus Crusius, Lignitii* 1724. 8. Accesserunt supplementa *Actis Borussicis Tom. I. p. 459.* inserta. Egregia autem fuerunt primi Albertinae Reſtoris in poësin Latinam merita. Testimonio sunt *praelectiones in Ovidii Metamorphoses habitae*, quibus inuolutas fabulis historias e suis tenebris eruere non inuita Minerua conatus est. Idem caetera carmina iunctim saepissime *Regiomonti, Lipsiae, Francofurti*, annis 1544, 1550, 1551, 1558, 1563, 1578, 1581, 1607, caet. edita nec non *Delitius Poetarum Germanorum Francof.* 1612. in 12. excusis Tomo V. p. 920-1176. inserta, demonstrant. Liceat mihi ad *Bartholomaeum Amantium* prouocare, qui cum Apiano Inscriptiones Romanas euulgauit, atque ad Albertum Principem exemplar eius libri, iam in Regia Bibliotheca conspiciendum, latinis versibus inscriptum misit, quibus longa verborum serie eximiam Sabini in condendis carminibus facultatem commendat (m). Singularia insuper elogia eidem tributa sunt a *Loichio*, poeta praestantissimo, qui raro exemplo tantum abfuit, vt inuidiae oestro percitus, famae Sabini detraheret; vt illum potius sibi ipsi praefendum palam profiteatur. Et sane, si dicendum quod res est, carmina quae cecinit nitidum quid redolent et iucundum. Grandis est verbis, illustris sententiis, frequens translatis, verborum iunctura sublimis et magnus. Numerosa versuum harmonia sensibus maximopere blanditur; lucidas rerum imagines ingeniose viuideque pin-

pingit, quas mentibus subito et ex improviso imprimit, elegantium verborum vestitu ornatas.

(m) Legitur carmen hoc in B. *Theoph. Siegf. Bayeri Programmate de aperta Bibliotheca Senaroria*, edito 1718. 4.

Larga se mihi iam seges offert illorum, qui posthac in colenda Romanorum poesi propitias habuerunt Musas. Alii enim praecepta regulasque carminis Latini explicarunt, tironibus ad Parnassum viam sternentes. Alii vario poematum genere lucubrationes suas expresserunt. Non nulli rursus vel Latina carmina vernaculo sermone donata dederunt; vel, si qua melioris notae Teutonica erant, metris Latinis adstrinxerunt. De singulis iam agendum.

Quod ad eos attinet, qui scribendi carminis Latini methodum docuerunt, primo illorum mentio facienda, qui artis poeticae regulas dedere generales. Fuerunt inter istos potiores *Ioannes Roelingius* Poeseos in Academia Regiomontana Professor, qui de metro poetico erudite egit. *Balthasar Boy*, eandem Spartam ornans, carminis epici requisita quaedam exponens. *Hieronymus Georgi*, qui artem imitandi poeticam dissertatione publica monstravit. *Ioannes Valentinus Priesch*, illud Prussiae Lumen, de limitibus soluta et ligataeque orationis commentatus; et qui iam Academiam nostram ornat, *Excellentissimus Ioannes Georgius Bock*, pulcritudinem carminum ex intima eorum natura binis commentationibus demonstrans (n).

(n) De his non possum, quin hic allegem iudicium Cel. *Ludovici in Historia Philos. Wolff.* Tom. III. §. 673. „Man stelle sich nur vor, „dasi Herr Bock ein gebobrner grosser Dichter sey, und dasz er viel „von vollständigen Begriffen und von der Schärffe im Beweisen halte; „so wird man sich schon vor diesen Dissertationen dasjenige zum vor- „aus versprechen können, dessen einen hernach die Durchlesung wärklich überführet.

Specialius regulas istas ad Latinum sermonem applicavit modo laudatus *Sabinus*, qui praecepta de carminibus Latinis componendis euulgavit, quae observationibus suis aucta *Io. Henr. Ackerus*, *Rudolstadtii* 1711. 8. edidit, cum ante illum iam *Ioannes Schöfferus* ea notis suis illustrasset, testante *Petri Lotichii Bibliotheca poet. Part. III. p. 98.* Simile argumentum pertractavit *Ioannes Gorius*.



*Gorius.* Fuit hic primum ab anno 1588 - 1594. Con-Rectoris in schola Parochiali muneri admotus; inde in Ordinem Assessorum Iudicii, et mox Senatorum lectus, tandem Consul Palaeopolitani officio fungens 1625. d. 29. Nouembr. diem obiit supremum. (o) Publici autem iuris fecit *Profodiae Latinae praeccepta in usum Scholae Veteris Oppidi Regiomontani collecta, Regiom.* 1613. 8. edita, quibus quae in scribendo poemate obseruari debeant, inculcat, rationem simul acquirendae facultatis poeticae indigitans. Huic adiungo *M. Bartholomaeum Bulonium*, Com. Pal. Caes. et Poët. Laur. qui 1603. in Velauensi et sequenti anno in Insterburgensi schola Rectoris partes egit, et, praeter alia, *Libellum metricum de doctrina assessorum* ~~quantitate~~ cum orbe communicauit. (p) Locum hic etiam occupat *M. Casparus Deuotus*, Lycei Prouincialis, quod Tilsae floret, Rector, qui *Murmeliu continuatum et auctum* i. e. elegantiores flosculos e veterum poetarum carminibus decerptos edendo adolescentibus consulere voluit. Prodiit libellus *Regiomonti* 1653. et iterum 1678. 8. atque in scholis Prussicis terebatur, donec in eius locum successit selectissimus Freyeri Fasciculus.

(o) *Erlent. Preussen* Tom. II. p. 492.

(p) *Conf. S. Reu. D. Arnoldi Historia Academiae Regiomontanae* Tom. II. p. 484. item *Acta Scholaistica* Tom. VIII. p. 240.

Inter diuersas poematum species primas sibi partes vendicat *Carmen Heroicum*, vltima sublimiorum ingeniorum meta. Magna sunt, immo maxima, quibus instructum esse oportet vatem, qui huic operi vires applicare suas tentat. Adeoque non mirum, post *Iliadem* et *Aeneidem*, paucas, nec eas quidem omnibus numeris absolutas, existere hujus generis lucubrationes. Borussia etiam nostra nihil, quod hic iactare possit, habet; quamquam haud diffitear, fuisse quosdam, qui, si ad ingenium spectes, hic suum figere potuissent studium. Equidem nescio quem hic locum mereatur *Daniel Nicolai* I. V. Cand. et Poeta, qui 1674. Bartensteinii obiit, de quo *Michael Kongoehl* in libello suo *Cypressen-Hayn* dicto p. 435. ita canit:

*Schad! daß dein Werck, darinn mit Fleisz beschrieben  
Der Preussen Staat, nach Marons Sprach und Art,  
Bisz diese Stund im Dunckeln ist geblieben:*

Nihil enim mihi, praeter ista, de hoc argumento innotuisse doleo.

B

Sta-

Statim igitur his subiicio, quae proxime ad Heroicum accedunt, *Carmina encomiastica* s. laudatoria, Principum atque Heroum Nomini sacra, quorum aliquot a nostratibus Latino sermone exarata reperiuntur. Eminet hic *Fridericus a Nostitz* Eques Prussus, qui vt a natura ferebatur ad poesin Latinam; ita natium hocce bonum lectis poetis tum veteribus, tum recentioribus, auxit, illudque arte ac studio limaui. Comprobant id carmina nitore et castitate sese commendantia, in laudem Ducum Prussiae composita. Quo refero

*Carmen epibaterium* Diuo Alberto I. inscriptum, cum anno 1525. turbida bellorum tempestate placata, Varlauiam Regiomontum rediret.

*Carmen funebre ad Borussiam*, de obitu Illustrissimorum Principum Alberti Senioris, eiusque Coniugis Annae Mariae 1568. die 20. Mart. defunctorum. *Regiom. 1568. 7 $\frac{1}{2}$ . plag.* in fine insignia Familiae Nostitziorum exhibens. In dedicatione ad Celsissimum Principem *Albertum Friedericum* haec habet: „ Nam si intellexero, me Illustr. „ Celsitud. Tuae rem fecisse gratissimam, totis viribus maiora tento, et *Maeoniis versibus* Ill. Cels. Tuae Parentis, in Christo pie defuncti, heroicas virtutes, omnesque mutationes, quae tempore „ totius gubernationis inciderunt, a primo aduentu usque ad „ obitum ordine describam *cact.* Quod ipsum an praestiterit, me quidem fugit.

*Libri III. de praestantia et dignitate legitimi coniugii, carmine heroico conscripti* in honorem Illustrissimi Principis Iohannis Sigismundi Marchionis Brandenb. *Regiom. 1594. 4.*

Nominandus hic etiam *Casparus Lubenow*, Regiomontanus, Carmine *paraphrastico*, coque non inuenusto, Alberto Friederico, Secundo Prussiae Duci, acclamans. Nec minor in hoc scribendi genere facultas fuit *Ioachimi Cimdars* Professoris Poeticae artis in Albertina. Testatum id inter alia dedit *metris in obitum Georgii Friederici*, Marchionis, qui curam Alberti Friederici egerat, 1603 *Regiomonti* in publicum datis. Etenim tersa et venusta oratione Inclutae Domus Brandenburgicae progeniem, Prussiae situm, naturam et fata, Imperantium denique in illam merita, versibus suis exponit.

Iam *Elegiae* prodeant Prussorum industria elaboratae. Prima hic debetur gloria superius iam laudato *Sabino*, qui, vt in reliquis carminum

minum generibus excelluit; ita in hoc potissimum eximius fuit et admirabilis. Nihil mihi suauitate Nasoni aut Tibullo cedere; quid quod argumentorum castitate dubiam illis reddere palmam videtur. Non enim turpes lasciuorum amores, nec obscœna honestis auribus vitia, sub blando vocum modulamine occultat; sed, Horatii consilium secutus, prodesse aequo ac oblectare cupiens, vtile dulci iucundissimo temperamento miscet. Continent Elegias eius volumina iam allegata, sæpius in lucem emissa. Aequalis Sabino ætate, nec viribus inferior fuit *Bernhardus Holtorpius*, de quo tamen, præter nomen, cætera ignoro. Exstat autem *par Elegiarum* nitidissimarum, quarum altera *Regiomonti* annis 1545. 4. et 1546. 8. impressa obitum Venerandi D. *Stanislai Rapagelani*, primi in nostra Academia Professoris Theologiae deplorat; (q) alteram vero memoriae Serenissimæ Principis *Dorotheæ* e Regum Danorum stirpe oriundæ, et Celsissimo Alberto thalomo iunctæ consecrat, quam ibidem 1547. 8. edendam curauit. Hunc excipit Vir in theologicis poeticisque studiis versatissimus *Sebastianus Artomedes*, Francus, Templi apud nos Cathedralis Pastor, qui anno 1602. d. 11. Sept. mortalium numero ereptus est. (r) Iam inde ab ineunte ætate mirum quantum scientiæ poeticæ ardore flagrauit, et iuuenis adhuc a *Paullo Melisso* Comite Palatino, et Ser. Electoris Palatini a Consiliis, celeberrimæque Bibliothecæ Heydelbergensis Præsfecto, laurea poetica decoratus est. Grauioribus posthac negotiis admotus, subseciuis publici muneris horas carminibus concinnandis impendit, eaque expressit sat elegantia. Prelo subdita sunt *Lipsiæ* 1590. 4. *Norimbergæ* 1593. 8. *Regiomonti* 1597. 8. *Lipsiæ* 1630. forma eadem, alibique, et dulcedine sua animos legentium alliciunt, atque constrictos velut tenent. Idem dicendum de *Valentino Schreckio*, Poet. Laur. qui primum professione poetica in Albertina functus, inde ad Gedanenſes abiit Scholæ ibidem Marianæ Rector. (s) Præstabat laude facultatis poeticæ, ad quam a natura et arte præsidii multum habebat. Quam in rem ad Elegias solum prouoco; quamvis nec in cæteris laude sua exciderit. Sequentia ex illorum numero, quæ Regiomonti publici iuris fecit, allegasse iuuabit:

*Epithalamium in Ioannem Sciuurum*, 1566. 4.

*Carmen in feriis natalitijs Christi*, 1568. 4.

*Elegia in Obitum Principis Alberti Senioris eiusque Coniugis, eod.*

*Parentalia Principi Alberto facta, eod.*

*Elegia ad Iohannem Placotomum, eod.*

*Charites, Carmen nuptiale in honorem Iohannis Georgii L. Baronis ab Heydeck, 1569.*

*Carmen in natalem Christi, 1570. 4.*

*Parentalia anniversaria Principi Alberto facta. eod.*

Superfunt plures, quorum hic mentio fieri posset, e. g. M. *Ioachimus Peresius*, qui *Carmen Elegiacum de eclipsibus 1588. conspectis* euulgavit; *Michael Piebstochius*, Regiomontanus, *salutarem Christi passionem* Elegia 1618. 4. impressa illustrans; et forte alii, quos silentio praeterire instituti ratio iubet.

(q) Inserta etiam est *dem Erleuchten Preussen* Tom. IV. p. 63. seq.

(r) Vid. *S. Reu. D. Arnoldt* l. c. Tom. II. p. 477.

(s) Plura vid. in *Ephraimi Praetorii Athenis Gedansibus* p. 173. atque in *der Preussischen Sammlung ungedruckter Urkunden und Nachrichten* Tom. I. p. 612.

Antiquitate pariter ac suauitate sese commendant *Odae*; magnum proinde illis pretium apud omnes emunctioris naris gentes habitum est. Celebrant Graeci suos *Pindaros* et *Anacreontes*; Romani *Horatios*, Scoti *Buchananos*; Poloni *Sarbievios* laudant. Patria nostra nec hac in parte exteris quidquam cedens, itidem progenuit vates, qui arguta lyra blandos cecinerunt hymnos. In horum ferie principem tenet locum *Simon Dachius*. Huius quanta vis in vernaculae linguae carminibus fuerit, notius est, quam vt meo comprobetur calculo. Neminem, quod ingenue fateor, si Martinum Opitium excipias, suo aevo vidit, qui ei comparandus, nedum anteferendus esset. Induxit id quosdam, vt minoris eum venustatis in versibus Latinis, quam quidem Teutonicis, insimularent; nescio quid in illis frigidum, siccum et enerue sibi deprehendisse visi. Verum in vtroque sermone valuisse Dachium; si quid aliud, carmina in primis loquuntur, quae, more in Academia nostra recepto, dierum sacrorum sollempnibus, ad celebranda nimirum natalitia Servatoris, eius resurrectionem et missionem Sancti Spiritus pepigit. Tersa in illis omnia, nitida, et argumenti pondera digna; adeo, vt non nisi inuidis maleuolisque bilem mouere possint. Sed ipse iam Ingeniosissimus Poeta false huiusmodi obtre-

obrectatorum vocus refellit, carmine, quod legimus *im Erleut. Preuss.* T. I. p. 176. vbi quoque p. 168. Grotium et Heinsium in Latinis superare, et p. 177 Virgilio, Ovidio, Catullo atque Horatio parum cedere adfirmatur, idque iudice *Celeb. Bayero* nostro, idoneo harum rerum aestumatore. Sequitur *Christophorus Caldenbach*, Pro-Rector primo Scholae Parochialis, inde ab anno 1656. in Academia Tubingensi Eloquentiae, Poeseos et Historiarum Professor, aetate et familiaritate Dachio coniunctus. Inclaruit praesertim hymnis Teutonicis, quorum aliquot collectiones *Regiomonti* et *Elbingae* typis expressae sunt, quorumque pretium ex iudicio *Neumeisteri in Commentatione de Poetis Germanis* p. 59. aestimare licet. Sed quod Latinas etiam Odas natio flumine conspicuas contexere potuerit documento sunt *Lyricorum libri III. Rhythmicorum lib. I. et Miscellaneorum l. I. Brunsbergae Varmiae* 1651. iunctim in forma 12ma excusi. Lyrica inde deprompta non nulla commendat *Morhoffius* in *Polyhistore* P. II. p. m. 119. 126. Sed quoniam Lycei Parochialis Praeceptorem nomino, id duo adhuc alios mihi in mentem reuocat, qui huic ludo sua addixerant officia, et quibus ad Odas concinnandas prona finxerat praecordia Titan. Fuerunt illi *Georgius Lothus*, et *David Hoppius*. Ille Rectoris munia in schola nostra anno 1608. suscepit, quibus tamen non ita multo post se abdicans, ad externos scientiam medicam exercendi gratia, abiit. Rediit Doctor Medicus, et tandem Professor in nostra Pregelana Primaria anno 1635. vitam cum morte permutauit. (t) Quod Odas fauente Apolline cecinerit, inter reliqua demonstrant *Psalmi Davidis, vario genere carminis Latini explicati, Luneburg.* 1632. 12. omnes boni poematis notas praeseferentes. *M. David Hoppius* Cniphoviensis primo Scholae Pro-Rector fuit, inde in Parochiali ab anno 1624. ad annum 1636. Con- et Pro-Rectoris Spartam ornauit. Promeritam autem consecutus est famam exaratis elegantissimis *Parodiis Horatianis*. Animaduernerat nimirum, Horatium, auctorem in scholis tritissimum, non ea se castitate in omnibus commendare Odis, vt scholastico coetui sine omni periculo in manus tradi possit. Saepius quippe in honestatis leges impingit, fordida proponit, et pravae libidini pabulum subministrat. Iniit igitur consilium Hoppius, Poetam hunc mutata forma tironibus donare; ita tamen, vt natiui lepores; et suauis vocum iunctura non laederetur; sed materia tantum versiculis comple-

Etenda eligeretur melior. Inde enatae sunt iucundissimae *Parodiae*, quibus Flacci Veneres rebus accommodantur maximam partem sacris. Has enim se potissimum respexisse ipse testatur Hoppius Lib. IV. *Parod.* II. ita canens:

Interim doctas imitatus Odas,  
Ethnico Flacci modulantis ore.  
Quae minus dixit sacra, sacra feci,  
Caetera concors.

Impressae sunt *Parodiae* hae in libros *Odarum* et *Epodon* *Horatii*, cum adiecta in fine *Satyra* ad imitationem primae *Iuuenalis* scripta, *Stetini* 1634. 12. item *Brunsvigae* 1655. Tandem dignum arbitror, quem inter *Lyricos* colloceam *M. Ioannem Christophorum Helving*, Rectorem *Angerburgensem* ab anno 1701-1710. Equidem hic, praeter carmen quoddam stilo, vt vocant, macaronico elaboratum, nihil, quod scio poematum *Latinorum* in lucem edidit: sed quam plurimas mihi videre licuit *Odas* autographas ab illo contextas, quas pura et elegans dictio, atque exquisiti ornant colores.

(t) Vid. *Veu. D. Arnolds* 1. c. Tom. II. p. 325. et 301.

Sed fuerunt etiam inter nostrates, qui pastorem *Virgili* sistulam imitantes *Eclogis* concinnandis suam impenderunt operam. Iterum hic adpello *Gorium* atque *Hoppium*, Poetas multis nominibus claros. Ille 1586. *Eclogam* de aduentu et incarnatione *Servatoris*, et insequenti anno aliam de passione, resurrectione et ascensione *Christi* euulgauit. Praeterea refertos omni ardore et suauitate versiculos ad *Numinis* laudes recensendas pepigit. *Santissimum Salomonis Canticum* metris adstrictum 1589. prelo subdidit, et *Sanctorum Angelorum encomia* carmine 1587. edita decantauit. Exstat etiam *Historia botuli Prussici* versibus ab illo scripta, et *Regiomonti* 1601. impressa, de qua consulantur *Acta Borussiae* Tom. II. p. 779. Quod ad *Hoppium* attinet, nec is dignius *Musa* sua argumentum existimabat aliud, quam si eam in celebrandis rebus sacris exerceret, quod *Bucolica sacra* testantur, quae anno 1635. in vrbe nostra prodire. *Bucolico* etiam carmine vsus est *Ioannes Andreas Pomeranus*, solempne illud conuictium, quod olim in arce *Regiomontana* Senatui et Ciuibus *Cniphosiensibus* die *Ascensionis Christi* instruebatur, depingens. Nihil vero mihi nec de Auctore, nec

nec de scripto isto ulterius innotuit, nisi quod hoc *Regiomonti* 1552. 4. in lucem emissum, me legere nemini.

Non vltimum inter poemata locum tenent *Epigrammata*, argutum illud et festiuum dictionis genus, quod in *Martiale*, *Ausonio* et *Oueno* miramur. Allexit horum dulcedo e Prusis non nullos, vt, quid in illis valerent humeri sui, experiri tentarent. Praeter *Lothum*, superius allegatum, cuius *Centuria Epigrammatum* auctoris variam eruditionem refert; *Bulovius*, cuius etiam iam facta est mentio, hic suos intendit neruos, quippe qui plurimos *Epigrammatum* libellos et *Regiomonti* et *Elbingae* prelo subiecit, quorum V. iunctim editi in forma octaua prodire. Eodem genere delectatus est *Balthasar von Grunendewwalde*, Nobilis Saxo, qui anno 1609. d. 8. Aprilis in hac Albertina laurea Magistrorum Philosphiae decoratus est. Edidit enim *Epigrammata* non penitus contemnenda sub titulo *Siluarum virentium*, *Regiomonti* 1636. 8. excusa. Breui post excelluit *Erasmus Rothmaler*, Poeta Laur. qui primo in scholis *Riesenburgensi* et *Hieropolitana* Rectoris officio praefuit, inde in territorio *Mariaeburgensi* Ecclesiarum *Schoenhorstensis* et *Neukirchensis*, tandemque *Goslandensis* Pastoris munere functus 1662 vitam cum morte permutauit. Habuit autem naturam tantum in formanda vena poetica, vnde eum *Hartwich in Beschreibung der Werder* p. 247. vocat *einen fürtrefflichen Poeten*; et *Friedrichus Christianus Leserus* Pastor *Nordhusianus* in edita 1749. vna *Erasmi Rothmaler*, parentis eius, p. 17 haec de illo: „*Er war ein guter Lateinischer Dichter, welcher die Kunst-Griffe des poetischen Schönen in den Quellen der Alten geschöpffet, und unter dem Mantel des Scherzes die Thorheiten der Menschen sinnreich belachen konnte.* Multum venustatis inest scriptis eius politissimis, et facetis *Epigrammatum* salibus, et lepore mordacis *Satyrae* refertis; e quorum numero sequentia lucem videntur:

*Deliciae poeticae S. Epigrammatum libri III.* Gedan. 1651. 4.

*Gemmae poeticae*, eod.

*Libellus Epigrammatum idco-seriorum*, ibid. 1652.

*Epigrammatum libellus singularis*, ibid. 1653.

Nimius essem, si singula fusius prosequerer. Inde saltem per indicem duo adhuc nuncupo, *Simonem Dilgerum*, cuius *Epigrammatum*



tum liber *Regiom.* 1659. emisus, et *Ioannem Moellerum*, qui eodem anno opusculum in 12mo publici iuris ferit.

Restat alia ligatae dictionis species, quam *dogmaticam* adpellare solent eruditi, qua integra materia philosophica, physica historica caeri carmine pertractatur; vt inter veteres exemplo praeciue Virgilius in Georgicis; Lucretius de rerum natura; Horatius de arte poetica. Iuuabit igitur etiam illos e popularibus citare, qui hac vsi sunt methodo. Reperimus *Casparum Schurzium* Islebiensem, Professore Poeseos Regiomontanum ab anno 1562-1566. et inde Ciuitatis Gedanensis a Secretis, notissimum rerum Prusicarum Scriptorem. Hic *Librum Imum Historiae Prusicae* carmine Latino sat nitido expressit, et *Regiomonti* 1563. stanno Ioannis Taubmanni in forma 4ta cum orbe communicauit. Caetera autem volumina soluta oratione prodierunt. Porro huc referendus iam allegatus *Lothus*, qui Historiam peregrinationum Christi, chronologico ordine dispositam, versibus exposuit, quos titulo *Itinerarii metrici* insigniuit. Idem systema salutis nostrae, quod *Hominem institutum, destitutum et restitutum* adpellat, *Regiomonti* 1632. 12. prelo subdidit. Denique artis bene moriendi rationem monstrauit *Eubanasia metrica*. De quibus conatibus legi meretur *Hoppii Parodia II. in lib. IV.* nomini eius inscripta. Neque hic reticendus *Danielis Herrmanni Discursus philologicus, de rana et lacerta succino Prusico* insertis stilo poetico scriptus, et *Cracoviae* primum 1580. 8. deinde *Rigae* 1600. 4. impresus, de quo vberius agunt *Acta Borussiae Tomo II. p. 121.* Eiusdem *Poemata Academica, anlica, bellica Rigae* 1624. 4. excusa, oculis vsurpare mihi non licuit. His tandem adiungo *Virum Doctissimum, strenuumque elegantioris poeseos Romanae nostra aetate Vindicem*, qui sub nomine *Caii Herennii Rapidii Pisonis, Sermonem ad Pisonem* Pisae Aestiorum i. e. *Regiomonti* 1740. 8. edidit, quo pisa raua, ferculum in Prusia frequentissimum, stilo Maroniano deperpingit, eorumque naturam et vsum stauu narratione exponit, interspersis subiinde obseruationibus, acumen ingenii et multiplicem eruditionem spirantibus. Gratulari merito patriae possumus Celeberrimum Auctorem, quippe qui, praeter haec, variis carminibus, res potissimum Prusicas illustrantibus, et ex parte *dem Erleuterien Preussen Tomo. V.* insertis, quantum in Latina poeti robur habeat, demonstravit.

Sed



Sed nec illos silentii peplo inuoluere fas est, qui translatis vel e vernacula lingua in Latinam, vel ex hac in illam, carminibus, de re poetica meriti sunt; cum ad vtrumque negotium non exiguum facultatis poeticae modulum requiri, non fugiat peritiores. In horum Classe locum tenet *Cornelius Hoofmann*, qui Harlemi in Batavia 1672 natus, et Lugduni J. V. Doctoris insignibus ornatus, Regiomontum discessit mercaturae operam nauans; vbi etiam 1735. die 2. Maii, mortalium numero ereptus est. Monstrauit exemplo suo, non inter necinum Musas inter et Mercurium Introdere disfidium, vtpote elegantioribus litteris, et Latina praesertim poesi, summopere adiectatus. Transtulit in Latinum sermonem *Celeb. Pietzschii Carmen Teutonicum in Principem Eugenium*, quod, sicut Herois maximi laudes decantat; ita gloriam quoque omnium calculo promeritum est maximam; dignum omnino, quod Latio donaretur. Reliquit etiam Hoofmannus poemata alia manu scripta, subacti iudicii et pertinacis industriae documenta. Non possum proinde, quin hic quaedam de Epicedio ab *Excellentissimo Professore Rappolt* posito decerpam. Ita vero de illo;

Nec tibi cum Latio peius conuenerat, idque  
 Scripta tuo calamo carmina tersa docent.  
 Eminent haec inter laudandus Pietzschius Heros,  
 Virgilii quem tu carmine reddideras. caet.

E Latina autem lingua in vernaculam quaedam transfere conatus est *Theodorus Ludovicus Lau*, Regiomontanus, J. V. Doctor et Ducis Curoniae a Consiliis, Altonae 1740. defunctus, et ob scripta Atheismi infimulata famosus. (v) Reddidit nimirum *Virgilii libros Aeneidos metricis Teutonicis*. Qui labor quam censuram subierit, docent *die Critische Beyträge*, II. Stück p. 230. seq. vbi etiam XIII. Stück p. 136. defensio eius legitur.

(v) Arnoldt I. c. Tom. II. p. 523. seq.

Superfunt adhuc plurimi, qui in Prussia Poetarum Latinorum nomen iure sibi vendicant, quorum merita sigillatim enumerare paginae angustia non permittit, e. g. *Ioannes Polander*, insignis ille Theologus, et purioris doctrinae in nostra ciuitate Praeco, qui in vernacula aeque ac Latina poesi suo aeuo excelluisse, memoria proditus est. (x) *Valerius Fidlerns*, Felicis, cuius supra mentio facta, filius, Doctor Medicus

dicus et Seren. Alberti Archiater, cuius in scribendis versibus facultas inter alia elucet ex carmine, in lib. poem. Sabini p. m. 388. exstante. Idem et Epitaphium, Admodum Reuerendo Episcopo *Morlino* in Templo Cathedrali positum, testatur. (y) *Matthias Stoins*, iisdem muneribus admotus, de cuius poematibus agit *Salig in Historia Aug. Confesf.* p. 1174. et de quo *Sabinus*:

In quo pleetra mouens Amphionis aemula vatis,  
Traxit Apollinea saxa ferasque chely.

*Georgius Reimann*, Poeta Laur. primo Orationum Ciceronianarum Prof. Extraord. inde Eloquentiae Ordinarius, quem praestantem poetam fuisse refert *Excell. D. Arnoldi l. c. Tom. II. p. 407.* *Martinus Iesche J. V. Doct.* et Prof. Extraord. nec non *Christophorus Voelcknerus* Con-Rector Cniphofiensis, eadem laude insigniti, iste *im Erleuterten Preussen Tom. IV. p. 853.* hic *ibid. Tom. III. p. 386.* Ut caeteros sic transeam pede.

(x) Vid. vita eius *im Erleut. Preussf. Tom. II. p. 440.*

(y) Aliud carmen allegat *Hartknoch in Historia Ecclesf. Prussf. p. 1043.*

Coronidis loco adhuc nomio Poetas non nullos e Prussia orientali oriundos, qui in exteris oris carminibus Latinis inclaruerunt. Sunt illi: *Friedericus Beselius*, Tilsensis, Philosophiae Magister, qui primo in Albertina praelectiones habuit, et deinde in Hollandia vitam priuatam vixit, cuius elaborationes quaedam poeticae exstant elegantes, v. g. *Laudes Pregelae Erl. Preussen T. I. p. 859. caet.* (2) *Petrus Himmelreich*, Regiomontanus, Gymnasii, quod Elbingae floret, Rector, quem *Praetorius in Athenis Gedanensibus p. 229. virum singularis eruditionis*, et *Rev. D. Arnoldi l. c. T. I. p. 339. poetam bonum nuncupant.* *Christianus Goldbach*, Regiomontanus, primo in Aula Petroburgensi a Consiliis Iustitiae, et Academiae ibidem Profesor; inde Consiliarius Status Intimus, et negotiorum extraneorum Director, Vir acutissimus, qui *ein sehr geschickter Lateinscher Poet* appellatur a *Dactif. Ludovici im Entwurff einer vollständigen Historie der Leibnitzschen Philosophie*, vbi etiam Part. I. p. 282. splendidum eius carmen in obitum Illustris Leibnitzii legendum exhibetur. Tandem agmen claudat *Ioannes Friedericus Behrent*, Insterburgensis, qui 1739. d. 12. Mart. Sub-Rectoris et Praefecti Bibliothecae Spartam in Gymnasio Lubecensi capessuit; anno vero 1743. eidem valedixit Con-Rector Gymnasii Bero-

Berolinensis vocatus, et praeter alia scripta solidissima, varia etiam carmina Latina, eaque eximia, in lucem edidit; Observationes quoque in Virgilium prelo paratas habens. (aa)

(z) Caetera eius Opera philologico-critica votis B. Lillenthalii in *Selectis Hist. litt. Tom. I. p. 155* expetita, prodierunt *Amstelodami, 1742. 8.* una cum commentatione de vita et scriptis Besfelii. *Conf. Hamburgische Gelehrte Zeitung anno 1742. p. 244.*

(aa) *Conf. Biedermanni Acta Scholastica Tom. II. p. 88.*

Abunde vel e paucis his patet, non frigida fuisse Prusorum ingenia, nec steriles calamos. Magnus semper a ciuibus nostris honos habitus est vt omni elegantiori litteraturae, ita poesi quoque Latinae. Nec immerito. Latinae enim linguae facultatem vix acquireret ligati sermonis expers; cum ne rite pronuntiari quidem voces sine eius cognitione possint. Poesis sola moram vocabulorum in pronuntiando conseruauit, quam pridem iam amissemus, nisi illius monumenta rectam monstrassent semitam. Quid quod serius illa vitium fecit et deprauata est, quam quidem oratio soluta. Enimuero ex quo Latini sermonis dignitas imminui coepit, qui vtroque genere scripserunt ~~plus laudis et vincula, quam vinculis expedita oratione retulerunt~~ vt *Ansonii* et *Boëthii* versus, solutum eorum scriptionis genus munditie et elegantia magnopere exsuperantes, testantur. Sollicita poesis est de epithetis conuenientibus, de similibus et aptis descriptionibus, de verborum copia, de accentu: quae omnia multum ad castitatem et nitorem prosae faciunt. Praeterea insigne nobis subsidium adfert ad eruendam praeorum sapientiam, et animum mira quadam voluptate demulcet. Taceo, quod, saltem *Ciceronis* iudicio, ad virtutem et res arduas incitet mentem, et illustrium virorum exempla immortalitati consecret. Interea manet nihilo minus Teutonicae etiam poesi sua gloria, suumque pretium: quid quod maiorem illi cultum impendendum esse, quam quidem Latinae, recte *Cel. Stollum* adfirmare arbitrator. (bb) Quamuis nec id in dubium vocari possit, quod laudatus Auctor statim adiicit, eum, qui poetico pollet ingenio, post vernaculam, Latinae potius, quam vlli alii, suas consecrare debere meditationes.


(bb) *Historie der Gelehrtheit Cap. V. §. 13. p. 166. edit. anni 1727. in forma 4ta.*

Prae-

Praeclare igitur faciunt, qui nostra etiam aetate, tantis maiorum exemplis incitati, quidquid habent virium ad ornandam scientiam hanc nobilissimam conferunt. Nec frustrandi sunt laude sua, qui tironibus vel in illustrandis vaticibus Romanis auxiliatrices praestant manus; vel viam illis ad pangenda carmina sternunt. Etenim maiorem in modum falluntur, qui poetice, sublimiorum quippe mentium opus, a scholarum liminibus ablegandam contendunt; adolescentem aequae ineptos ad eam addiscendam reputantes, ac Aristoteles illos ab audiendis praeceptis Ethicis arcescendos statuit. Licet enim haud eam inficias, illum, qui in hoc scribendi genere feliciter versari velit, non summo tantum ingenii acumine praestare; sed et matura subactissimaque iudicandi facultate, nec non multa litterarum suppellectile, instructum esse oportere: attamen nec credo, quemquam sanioris cerebri futurum, qui in inferioribus scientiarum seminariis Homeros aut Marones vno die effingere praesumeret. Neque multum etiam temporis in cultura illius consumendum esse, res ipsa loquitur: multo minus ea explicanda aut fingenda erunt, quae morum corrumpunt innocentiam. Sufficit, non ignavos esse iuvenes regularum, quas legitimum carmen postulat, et quamdiu memoria potissimum viget, probe omnibus animo impressis, aliquo gustu eorum tingi; cum caetera vsus aequae ac provecior aetas sensim subministrant. (cc) Cum itaque nondum conticuerint inter nos amoeniores Musae; spes affulget, fore, ut futuris quoque temporibus educentur vates, qui antiquam Prussorum in fovendis litteris gloriam novis aucturi sint speciminibus.

(cc) Conf. Sum. Rev. Io. Henr. a Seelen Gymnastii Lubecensis Rectoris Commentatio de neglectu poeseos Latinae scholis valde noxia. Lubec. 1743. 4.





Farbkarte #13

B.I.G.

QR. 523,7

B. m. II.



DE  
**MERITIS PRUSSORUM**  
IN  
**POESIN LATINAM**  
**COMMENTATIO**  
HISTORICO - LITTERARIA  
**GEORGII CHRISTOPHORI**  
**PISANSKI**  
LYCEI PAROCHIALIS PRO-RECTORIS.  
A. R. S. MDCCLI.

REGIO MONTI,  
STANNO REGIAE AULICAE ACADEMICAЕ TYPOGRAPHIAE.



*für Herrn Prof. Dr. ...*

